DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQVE DEIPARÆ; ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XXII. FEBRVARII,

M. FRANCISCO PIIART, Doctore Medico, Præſide.

1012

An ſolis Alimentis ſuſtinentur vires?

RERVM animatarum vires nihil ſunt aliud quàm vita ipſa. Caue autem cum rudioribus eas vel lacertorum robore, vel gladiatoriâ laterum firmitate, vel oſſium concretione, vel vaſti corporis proceritate, vel viſcerum atque adeo carnium membrorúmque omnium compactione metiaris. Taurorum & Elephantum iſta ſunt, non hominum : niſi fortè Milonum & Pontiorum, qui quò plus valuerint corpore, hoc neceſſe eſt minùs valeant mente : Eſt ſupra humanæ felicitatis apicem, vt corporis, animique vigor eximius, bonâ fide ſocietatem ineant. Imò eſt in confeſſo, nimio membrorum robore aciem mentis hebeſcere : minus ſolertes quibus obeſiſſimus venter; quaſi abnuente Naturâ vtriuſque boni largitionem, ne ſuprà mortalem ſit ſortem, eumdem eſſe & valentiſſimum & ſapientiſſimum. Vera & exquiſita virium ratio haudquaquam ex corporis ſeu niſu, ſeu prævalido quolibet impetu æſtimanda; ſed ex facultatum omnium integritate, & partium cùm ad actiones voluntate ſuſceptas alacritate, tum ad naturales expeditè, atque vno filo ſemper obeundas aptitudine. Porrò, vt animæ cum corpore bene conueniat, varijſque huius partibus vſa, varias planéque diſcrepantes nunquam non exerat functiones, haud ſatis eſt eleganter fictum & tornatum, ſed etiam optimè temperatum ſit id corpus oportet, in quod illa immigrat.

QVI in viuentium corporibus principes qualitates omni ad vnguem repreſsâ exuperantiâ, pari penitus gradu concurrere poſſe exiſtimat, is ſe philoſophis deridendum propinat; fingi quidem animo, at cum vitâ cohærere non poteſt tam accurata temperies. Quæ verò ex ipſiſmet qualitatibus conuenienti permiſtione accommodatis ad vniuerſa munia ad quæ viuens vnumquodque ſuâ naturâ ducitur, incorruptè fungenda, quodam quaſi iuſtitiæ ritu ſtabilita exſurgit, ea optima numeriſque omnibus abſoluta cenſenda eſt. Si tamen in ſolis hæres qualitatibus, nondum tenes omnem rei animatæ naturam, & temperamenti modum : nempe ex illis, ac præterea è conſerto in partium ſimilarium ſubſtantiam genuino, pingui, & oleo perquam ſimili humore, blandóque & halituoſo calore ac ſpiritu effloreſcit; vt eo quæcumque animalia à primo ortu cæteris pleniùs circumfluxerint, illa imprimis valere, viribuſque florere neceſſe ſit : maximè ſi præcipua in id conferatur cura, vt toto vitæ decurſu niteat omni excrementorum genere vacuum corpus, ſitque purus & integer ſanguis, qui ad iacturam calidi innati continenter dilabentis ſarciendam ſufficitur. Eo pacto, quia quantum de ingenitis viribus ſpiritibuſque decedit; tantum in ſubſidium è tribus principiorum fontibus accedit influentium, nulla vitæ, viriúmve metuenda euerſio.

VIRES itaque ſi quando concidant, ocyus reparandæ; hoc namque vitæ theſauro direpto, ſtatim funditus pereunt omnia. Idcirco vulgus Medicorum tanto ſtudio in eam rem incubuit, vt non tam tenuerit, quàm exceſſerit modum: ad hunc vſum propè tracta ſunt omnia rerum genera; cùm tamen virium tuendarum vna certa ſit via, licet ex accidenti iuuent & aliqua, ſuápte naturâ huic muneri minimè comparata. Quæcumque vberem noui ſpiritus materiam promptè corpori ſubminiſtrant, tritâ appellatione nuncupantur cardiaca; quia cor caloris & ſpirituum (quibus robur continetur) fons eſt præcipuus & inexhauſta ſcaturigo. Eorum autem quæ in corpus ingeruntur vulgò tres ſtatuuntur ordines: his quartum non ineptè adieceris. 1 Mirum ſit, ſi quis petat è venenis auxilium, oblæſis grauiter viribus, & tamen cùm acerrimum ſalutari calori bellum indicant, à nonnullis velut profutura obtruduntur; & ſæpe qui ab alicuius hauſtu vitæ diſcrimen adeunt, diuerſum aliud perperam iubentur obbibere. 2 Tam abſunt quoque à reficiendis viribus medicamenta; vt è contra de natiuâ temperie deiectum corpus vehementer percellant, 3 Proximum his locum ſibi vendicant ignaua & otioſa quædam corpora, nonniſi ab otioſis hominibus præſcribi ſolita : quæ ſiue quòd nullâ efficaci aut amicâ nobis qualitate ſint prædita; ſiue quòd in denſiori materiâ omnis eorum vis quaſi ſepulta deliteſcat, nec à corpore noſtro affici, nec ipſum viciſſim luculenter afficere poſſunt. In hoc cenſu ſunt cornu Monocerotis, os è corde cerui, aurum & argentum, quanquam hæc duo ferè ſunt mortalibus ſanguis & anima; lapis Bezoardicus, Vniones, Granatus, Smaragdus, Hyacinthus, Sarda, Topazius, Saphyrus, ſexcentæ inſuper herbæ & quiſquiliæ, titulo ſolo cardiacæ, quæque ex iſtis & ſimilibus coaleſcunt confectiones permultæ, quibus præter grande aut ſplendidum nomen, ſolidi vix ineſt quidquam. 4 Sola igitur ſuperſunt alimenta, quæ vacillantibus viribus opitulari queant; inter quæ vi ac celeritate recreandi primas tenet vinum, quod tamen nec ſemper eſt cardiacum.

QVACVMQVE ex cauſa ſpiritibus malè ſit, confeſtim remouendum quidquid ipſis incommodat, ſi viribus præclarè conſultum velis. Febris præſertim ardens, liquato corpore mutatáque eius temperie, vires inſigniter obterit; his ſatis vnius febris depulſione proſpexeris. Princeps pars aliqua corporis, intemperie quálibet conflictata robur comminuit, hanc ſi ita emendaueris, vt ne ſerpat, & ad ſpiritus indidem ortos dimanet; ſponte ac vel inuitò recurrent vires. Bilis ardentior calore immodico ſpiritus cremat, vel os ventriculi quaſi pungit aculeis, vt propè ſyncope corruat animal; ducenda quamprimum bilis; hoc quæcumque præſtiterint, erunt quouis cardiaco potiora. Aëris feruore accenſi ſpiritus, diſſipatione minuuntur; aërem ipſum frigidis caſtiga, mox priſtinus redibit vigor. Scorpij, rabidi canis, vel alterius venenatæ beſtiæ morſu acceptum virus, ſpiritum polluit & inficit; virus ipſum quamcitiſſimè foras euoca; ſic reddes ſuo nitori ſpiritum, ſuoque corpus robori. Labor æſtuſve ſpiritus caloremque halitu aut ſudore diſſipant; dum iſthæc vites, ſat horum iacturæ medeberis. Languet nimiâ libidine diſſolutum corpus; nuncium ſi remittas veneri, poteris & ſi lubet cardiacis. Fuſa aluus, pus, vel aqua vndecúmque affatim erumpens, vel clariùs, largior ſanguinis profuſio bonam ſpirituum partem ſecum abripit; fluorem dum compeſcas, fruſtrà alius ſuſcipitur labor, vt ſuccum ſanguinemque recipiat æger. Vires cum calore & ſpiritu obruunt ſtrangulantque timor atque mœſtitia; iacentem animum fiduciâ lætitiáq; completo, illicò quoquouerſùm excurrent ſpiritus: gaudio diſſoluuntur; ſubſiſtent, vbi temet tantiſper cohibueris. Vires proſternit ſpirituſque diſperdit doloris acerbitas; curre, ſi è re eſt, ad venæ ſectionem, & cætera paregorica; mutato nomine fient cardiaca.

INANE igitur, quod ab imperitis tanti fit, cardiaci nomen, niſi fortè ipſis aptare lubet rebus, quibus perficitur, ne quam ſpiritus offenſionem excipiant. Horum quidem ruinam vt accelerare, ita & remorari valent quamplurima : at eorumdem penuriâ laboranti animali, ſolo eóque conuenienti ac familiari alimento ſubueniendum: nempe cùm pars vnaquæque ſimilaris calorem ſpiritúmque congenitum, quo ab ortu inſtructa eſt, integrum retinere non poſſit; ſi quando vagorum, & à principiis per proprios canales defluentium fauore deſtituatur; quod ad noui & quidem puri ſinceriorisque ſanguinis (è cuius tenuiori portione ſpiritus exſuſcitantur) generationem aſſumitur alimentum, planè id nobis conſociatum ſit oportet, ſummamq; cum corporibus noſtris affinitatem habeat atque cognationem. Vt ſi qua res animâ, benignoque illo humore primigenio, & calore naturali, quo vita ſtat, ſemper caruerit, ea nequaquam in alimentorum numerum venire poſſit : vt eo nomine ijs adſcribi non debeat aqua. Sed & in viuentium genere, illa nos nutriunt pleniùs, quæ propiùs ad noſtram accedunt temperiem atque naturam. Idcirco ſucci quamminimum nobis ſuppeditant herbæ, haud multò vberiorem piſces, cumulatiſſimum, quæ multi ſanguinis ſunt, terreſtria animalia, quorum carnibus vel ſaporata iuſcula, pleriſque vitam in plures dies, menſes, annóſque protraxere.

Ergo ſolis Alimentis ſuſtinentur vires.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS BARALIS, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. LII.